



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt CV. S. Mariæ Dordracenvm Collegium in Hollandia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**



littere datę anno millesimo trecentesimo sexagesimo primo.

Stephanus, Fridericus, & Ioannes, Bauarię Duces fundarunt ibidem anniuersarium, & dederunt Ecclesiam Emptenbach, cum aliquibus redditibus anno 1380.

Ceterum vicus Essing, pertinet ad possessores dominię Randeck, qui olim erant de familia Abenspergęsi; quibus deficientibus successerunt Duces Bauarię. VVilhelmus, Dux Bauarię dedit hunc vicum, ob fidelia seruitia, *Leonardo ab Eck*, Doctore & Consiliario suo intimo, cuius filius *Osvvaldus*, id postea vendidit *Ottoni Henrico*, Comiti à Schvvartzenburg, Sic ferè Hundius in sua Metropoli Salisburgensi.

## CAPVT CV.

S. MARIAE DORDRACENVM  
*Collegium in Hollandia.*

**D**ordracum vrbs est in diocęsi Ultraiectensi, metropolis ciuitatum Hollandię, in qua *Sancta Sura*, siue *Soter* virgo honestissimis parentibus orta, maioris Ecclesię fundatrix celebratur: fertur enim singulari affectu venerata esse imaginem Deiparę Virginis, ad arborem super riuum *Dordrech* pendentem: & quidquid lucrabatur, id pauperibus erogasse. Cũ autem optaret Ecclesiam ædificare, ab Angelo didicit magnitudinem: & tri-



& tribus operarijs totidem denarijs, dictis *Copkens*, parvæ quantitatis, sed magni valoris, satisfecit. Ex quo, quod pecuniosa putaretur, vitæ præsentis vsurâ per latrones amisit, eo in loco vbi hodie amœnissimus fons, febricitantibus medicina, emanat. Cuius etiam *Guilielmus Lindanus* in Apologetico ad Germanos meminit. Capti ad iudicis prætorium ducti sunt; sed Martyr cum cicatrice recenti in collo apparens, (erat enim guttur cultello transfossus) pœnitentibus veniam impetrauit. Ecclesia iam dicta Soterem eam nominat, & per Collectam memoriam eius celebrat in die S. Scolasticæ Virginis. Sed ignoro à quo tempore, & cuius auctoritate, hæc commemoratio & applicatio Collectæ de Sancto Sotere, Virgine orientis, in Beatum Sotorem Dordracensem fiat; quam sic transfominatam opinor ob salutem præstitam miraculis.

Ita ferè Molanus in natalibus Sanctorum Belgij.

Ceterum Dordracense collegium istud duodecim Canonicorum excitavit *Albertus Bauarus* Hollandiæ Zelandiæque Comes anno millesimo trecentesimo sexagesimo sexto.

Templi autem auspicia referunt incolæ ad Sanctum Soterem, vt ex Molano iam retuli.